



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Arelaten. Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

298 Epistolarum Innocentij III.

G. CONVENTREN. EPISCOPO.

*Epij. 520.
Vt à decellori-
bus alienata re-
vocet.*

Sicut nostro est apostolatui resera-
tum, nonnulli de prædecessoribus
tuis, non attendentes quod condicio-
nem Ecclesiæ meliorem facere pote-
rant, non pejorem, possessiones ad tuum
episcopium pertinentes injulè alienare
pro sue voluntatis arbitrio præsumple-
runt, unde ipsa Ecclesia grave dispen-
sarium proponit incurrisse. Nos ergo
nolentes quod delictum personæ in dam-
num Ecclesiæ debitum redundare, frater-
nitati tuae auctoritate præsentium indul-
gemus ut quæ à dictis prædecessoribus
tuis minus legitimè alienata fuerunt, ad
jus & proprietatem Ecclesiæ tuae tibi li-
ceat appellatione remota legitimè revo-
care. Nulli ergo &c. Datum Laterani VI.
Idus Ianuarij.

E I D E M.

*Epij. 521.
Vt patronis in
præsentando
clericum idoneum
discordan-
tibus, Epis-
copus Vicarium
durante lite in-
stituit.
Cap. Cùm pro-
pter De jure pa-
tronatus.*

Cum propter laicorum discordias
non debeat Ecclesiæ præjudicium
generari, grave gerimus & indignum
quod (sicut nostro est apostolatui refera-
tum) occasione dissensionis quæ de jure
patronatus vertitur inter eos, Ecclesiæ
plus debito remanent rectoribus vidua-
tæ, quod in ipsarum grave dispendium
noscitur redundare. Verum quia secun-
dum Apostolum instantia nostra quotidiana
est omnium Ecclesiarum solicitu-
do continua, volentes his quæ præmi-
simus ex debito pontificalis officij obvia-
re, fraternitati tuae per apostolica scripta
mandamus quatenus si de jure patrona-
tus quæstio emerget inter aliquos, &
cui competit, infra quatuor menses non
fuerit diffinitum, ex tunc Ecclesiæ ip-
sam appellatione remota de persona
non differas idonea ordinare: ita quod
illi ex hoc non debet in posterum præ-
judicium generari, qui jus evicerit pa-
tronatus. Datum Laterani III. Idus
Ianuarij.

ARELATEN. ARCHIEPISCOPO.

*Epij. 522.
Injungitur illi
ut inquirat de
statu Episcopi
Regensis, qui
episcopatus re-
vocari cupie-
bat.
Imbertus Epis-
copus Regen. secessit in
monasterium
Lirinense.*

Hanc inter spiritualia & corpora-
lia constat existere differentiam,
quod corporalia faciliter destruantur
quam construantur; è contrario vero
spiritualia faciliter construantur quam
destruantur. Vnde juxta canonicas san-
ctiones Episcopus solus honorem dare
potest, solus autem auferre non potest.
Nimirum venerab. frater noster Regen,

Episcopus, sicut ex ipsis & ven. fratri
nostris Aquen. Archiepiscopi literis, quas
nostrum apostolatui destinarunt, nobis
innovuit evidenter, quoniam Ecclesiæ
sua propter manifesta impedimenta non
sufficit providere, unde ipsi Ecclesiæ po-
pulique sibi commisso non leve timet
imminere periculum, omnino cedere
ac deponere onus solicitudinis pontifi-
calis affectat. super quo humiliter po-
stulavit à nobis sibi licentiam indulge-
ri. Cùm igitur inter sacros ordines di-
gnitas pontificalis excellat, de qua soli
Petro reservatum est privilegium, vo-
lentes in hoc deliberatione provida &
debita maturitate procedere, fraterni-
tati tuae per apost. scripta mandamus
quatenus de statu Regen. Ecclesiæ ac
personæ ipsius Episcopi veritatem inda-
gatione solicita perscruteris, & utrum
ejus persona propter impedimentum
cordis vel corporis insufficiens sit ad
gerendam solicitudinem pastoralem, ve-
ridica nobis relatione rescribas; ut per
te certiores effecti, securius in negotio
procedamus. Datum ut suprà.

BISVENTINO ARCHIEPISC. & suffraganeis ejus.

Cum ad nostram nuper notitiam de-
venisset quod Hu. qui pro se pro
Abbate Luxovien. gerebat, non antea
fuerit monachus quam electus, nos at-
tendentes quod contra regulares tradi-
tiones istud fuerit attentatum, cùm nul-
lus spem vel promissionem habens ut Ab-
bas fiat, debet monachari, electionem
de ipso factam de consilio fratrum no-
strorum curavimus irritare. Quocirca
fraternitati vestrae per apostolica scripta
mandamus quatenus tam monachis
quam alii fidelibus monasterij memora-
ti studeatis ex parte nostra districtius
inhibere ne præfato H. ullam obedien-
tiam vel reverentiam propter jamdictam
electionem audeant exhibere; & si quid
in eodem monasterio disponendo jam
perperam attentavit, nullius robur habe-
re volumus firmitatis, sed penitus irrita-
ri. Quod si contra interdictum nostrum
curam monasterij usurpare præsumpse-
rit, ipsum & qui ei faverint in hac parte,
per censuram ecclesiasticam remoto ap-
pellationis obstaculo compescatis. Da-
tum Laterani III. Idus Ianuarij.

*Epij. 523.
Ne quis in Ab-
batem Luxo-
vienem elige-
tur, nisi tecum
monachus
illius concordij.
Cap. Cùm ad
nostram. De
electione & ex-
eci pareat.*